



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Osanna V. 18. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

hi quidem, post equuleum, unum & verbera, capite imminuti sunt. LEONTIVS longâ patientiâ præsidis ingenium lassavit, & totum carnificinæ apparatus exhaustit; donec pendenti continuâ verberatione anima extorta est. Utinam, quemadmodum Themistocli trophæa Miltiadis, ita nobis LEONTU triumphus somnum excuteret! *Ex Surio.*

Quem bene vivere omniâq; ad Dei cultum referre intelliges, etsi sæper in carcere vixerit, vel pauper sepulchro revulsus combustusq; fuerit, si tractum pendendum corpus præbuerit, nihilominus hunc beatè hunc felicem dicere, hunc ad sidera tollere memineris. S. Chryf. ser. de Virt. & Vit.

S. OSANNA V. 18. Iunii.

INTER Deum & OSANNAM Mantuanam continuum certamen amoris fuit. Data utrinque acceptaque pignora, quibus neque Deus charius quidquam, nec pretiosius mortales habent. Virgo illibatam pudicitie florem Deo sacravit: ille vicissim arborem suæ crucis orantis humeris imposuit, ex vero deinceps dicturæ: AMOR MEVS PONDVS MEVM. Omnes certè OSANNÆ cogitationes eò ferebantur: iis maximè diebus, quos amor ejus in cruce pendens fecit sanctiores: cui tamen satis non fuit animo sauciam aspicere, nisi corpori etiam stigmata insingeret, non nisi paucissimis, & in omnia familiaria jura receptis, ut tesseram amicitie concessa. His ditata characteribus satis utrique literata fuit, potuitque in hæc sancti amoris scripturâ acquiescere. Accessit tamen auctarium, & sub Deiparæ disciplinâ nostrum etiam Alphabetum didicit: ut his quoque humanæ rudicatis elementis proficeret ad magisterium virtutis: neque

que enim quemquam postea pudit tot caelestis sapientiae insignia circumferentem, prospicientem futura, familiarem Angelis consulere, aut audire monentem. Viri Principes agendas illi suas apud Superos causas detulere, certa spe victorise, si patrocinium suscepisset. Et hoc tantum orbis miraculum anno M. D. V. terras deseruit, ne queri ququam possit, nullam nostro aeo magnam virtutem gigni. Quid vis? an ulli Deus invidet suam crucem? sed nos delicati humeros subducimus.

Ex Phil. Fer.

Tolle Crucem tuam, & sequere Iesum, & sibi in vitam aeternam: praecessit ille bajulans sibi Crucem, & mortuus est pro te in Cruce; ut & tu tuam portes Crucem, & mori affectes in Cruce. Thom. à Kemp. l. 2. c. ult.

S. BONIFACIUS EP. MART.

19. Iunii.

FVIT BONIFACIUS Ottoni Imp. sanguine, plus amicitia junctus, quae quidem tanta inter illos erat, ut cum familiariter illum hic compelleret, animam suam identidem diceret. Liberalibus artibus omnibus, musicis praecipue instructus, dum modulos in aede cognominis sibi D. BONIFACII instruit, caelesti Numine repente afflatus. *Hens!* exclamat, *quid vanam ego nominis umbram gero? quid Martyris titulum circumfero, si non victoriam etiam & palmas? Superos testor, & cognominem Divinum, aut non dicar BONIFACIUS, aut ero.* simul ad monasterium abiit Martyrii tyrocinia positurus. Avelli Ottoni animam suam vidisses. At ille bis tantum in septimanam cibum capiens, crebro interitum corpus in verpres abiciens ad martyrurum par-